CARMINA

QUINTINI GUANCIALI

ITALIAE REPARATAE SALUTIS

ANNO PRIMO

Carmina non prius
Audita.
Horat. Lib. III.

NEAPOLI MDCCCLXI
EX TYPOGRAPHIA EM. ROCCO

DE REGNO ITALICO

CARMEN

En tandem, utque erat in votis, post aspera fata
Concessum lacerata diu distractaque membra
Colligere Italiae, et miserae solatia ferre,
Et revocare animos, et diae frontis honores.
Et vox altisonans Garibaldi increbuit ore:
Ite procul, procul Italia vos ite, profani,
Et vos, carnifices hominum, qui sceptra tenetis
Torquentes et corda metu, et caligine mentes!
Sat miserae Italiae luctus! Sat, vindice nullo,
Et turpes ignominias, et barbara jussa
Perpessi!... Et quaenam est hominum lex, atque deorum,
Quae pecudum nos more jubet ditione teneri,
Sanguinis et calidum e jugulis effundere flumen
Principis arbitrio? Procul hinc, procul ite, tyranni,
Unaque sit tandem Italia, uno principe digna;
Et nova libertas nobis transfusa latino
Sanguine, facta patrum referat, sanctumque senatum.
Assensere Itali proceres, motuque repente
Civico inest animis amor unus, et una cupido
Pugnandi, et belli caussae, et monumenta doloris

Haud unquam exciderant! Fit bellicus ardor ubique,
Irradiant fulgore novo vexilla per auras,
Et collecta manus juvenum se credere coeptis
Audet; sed veluti flamma exagitantibus euris
Per stipulam, hos inter medios Garibaldus anhelus
Fertur, et evolvens flammantis pectoris aestus
Urget ad arma viros, jaculentur fulmina dextris;
Atque cito horribili reboant tormenta fragore
Bellica, et hinc illinc enses, et fusile plumbum
Pectora trajiciunt, et lethum caede cruenta
Hostibus immittunt. Gignit miracula martis
Libera vis animi, stimulos datque aemula virtus;
Et trepidant, queis dulce jugum, gaudentque catenis,
Servitioque premi nunquam meliora volentes!
Et trepidant monitu rerum, et pallescere vultus
Vidimus exangues... Sed contra audacia crevit,
Et patriae illabens animis tunc numen amicum
Suggerit ultrices iras, et fortiter ausus;
Et tandem invisae tremulis cecidere coronae
Verticibus, meritas possint ut solvere poenas
Heu nimium fuso fraternis sanguine dextris!
Quis tamen Italiae princeps nunc dignus haberi,
Cui sceptra, et fidente animo committere fata?
Non equidem cupimus certa sine lege vagari,
Perque nefas vetitum ruere, et mens libera fraeni
Impatiens juris sit nulli obnoxia poenae;
Sed regis, populique datae libramine sortes
Versentur, tum quaeque suo stet firma potestas
Principio, et nulli arbitrio subjecta vicissim.
Et regem nobis legere est concessa facultas